

Líbera me, Dómine, de morte ætérna,
in die illa treménda :

Quando cœli movéndi sunt et terra :
Dum véneris judicáre sæculum per
ignem.

Tremens factus sum ego, et tímeo, dum
discússio vénerit, atque ventúra ira.

Quando cœli movéndi sunt et terra :
Dies illa, dies iræ, calamitátis et misériæ,
dies magna, et amára valde.

Dum véneris judicáre sæculum per
ignem.

Réquiem ætérnam dona eis Dómine : et
lux perpétua lúceat eis.

Líbera me, Dómine, de morte ætérna, in
die illa treménda :

Quando cœli movéndi sunt et terra :
Dum véneris judicáre sæculum per
ignem.

Kyrie Eléison. Chríste Eléison. Kyrie Eléison.